



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 9. Ejusdem Myst. punct. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

mus ; sed cum tœdio lentè nos conferimus ad mysteria Christi meditando indaganda.

VOL. Excutiamus illum torporem, & cum Petro curramus ad inspicienda Christi mysteria : dicamus illi: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Pl. 118. manè proinde citò evigilemus, & properemus, ad congaudendum cum Christo.

COLLOQ. Conforme contemplationi Regni Christi, petendo, *ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum ac obtemperandum prompti simus.*

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO. SENSUUM

MEDITATIO. IX.

De Apparitione quarta. Luc. 24.

Myst. punct. 2.

CONG. Congaudere Christo redivivo, dum evigilamus, sicut explicatum est.

PRÆL. I. Quomodo Petrus introgressus monumentum, sola viderit lintheamina, quibus fuerat involutum corpus.

PRÆL. II. Repræsentrare sibi locum sepulchri, & lintheaminum.

PRÆL. III. Petere desiderium inflammatum agnoscendi Christum, illum inveniendi, illique congaudendi.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Petrum jam cursu perlatum usque ad monumentum.

INTEL. Consideremus in Petro tertiam & quartam virtutem positam inter octo Beatitudines. Nam esuriebat & sitiebat justitiam : lugebatque eò, quòd Solem justitiæ non inveniret. **REFL.** Respiciamus nos, an talem esuriem, sitim & luctum habeamus.

VOL. Fateamur cum pudore & dolore, quòd nos potius mundana & vana esuriamus, & lugeamus illorum amissionem : dicamusque cum Davide : *Quemadmodum desiderat cervus &c. Siti- vit anima mea ad Deum &c. fuerunt mihi lacry- ma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quo- tidie, ubi est Deus tuus? &c. Ps. 41.*

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus Petrum cum Joanne, & secum loquentem.

INTEL. Ratiocinemur, eum hæc aut similia dixisse : *Quæram, quem diligit anima mea ; quasi vi il- lum, & non inveni.* Cant. 3. **REFL.** Si nos interro- garemur, sicut Christus interrogavit Mariam ad sepulchrum : *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Joan. 20. quid responderemus?

VOL. Corrigamus affectum nostrum, quia alia quærunt, extra Jesum : ut nobis possit dici, quòd Angeli dixerunt Mulieribus Matth. 28. *Nolite timere vos : Scio enim, quòd Jesum, qui crucifi- xus est, quæritis.* Iungamus igitur desideria no- stra, cum desideriis Petri, PUN-

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Petrus *introiuit in monumentum, & vidit lintheamina posita & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum lintheaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.* Joan. 20.

INTEL. Discamus hinc, quòd si velimus Jesum quæri ere gloriosum, priùs cum Petro eundum sit ad sepulchrum, & introeundum sedulâ Meditatione: Nam Petrus meditando de iis, quæ viderat in sepulchro, erat *secum mirans, quod factum fuerat.* Luc. 24. **REFL.** Examinemus, quomodo nos simus affecti erga meditationem de Passione & morte Christi.

VOL. Nos quoque introeamus in Meditationes de Christo, crucifixo, mortuo, & sepulto, ut postquam compassi fuerimus cum ipso, congaudeamus cum ipso redivivo.

COLLOQ. de 2. Vexillis: Nam vexillum Christi, est Crux Christi, quæ ducit ad gloriam.

RECOLLECTIO.